

Y C

416

12, 011 11
PENNALISMUS
PROSCRIPTUS
PROFLIGATUSQVE
AB
ACADEMIA JENENSI.



JENÆ
Typis JOANNIS NISII,
AN. CHR. 1711.

1.

7


4,57

8

8



BENNINGALISIMUS
PROSCRIPPTUS
PROFICATROVE
ACADEMIA BENNEI



JOHANNIS NISII
REGNI EPISCOPI

m
vo
no
ac
ho
qu
co
m
lis

no
do
us
(u
tis
A
qu
Pa
pa
A
ut
pa

ex
la
fa
ex
lib
A





RECTOR ET SENATUS ACADEMIÆ JENENSIS

L. S. D.



Nnus nunc agitur quartusdecimus, ex quo Bacchanaliorum illas serias furibundas, in Deum ignominiosas, ex idolomania gentili in Christiani gregis coetum, Satana auctore ac ductore, illatas, ac seculis non paucis à variè larvatorum, personatorum, cornutorum, auritorum, rostratorum, nasutorum, caudatorum, & quid non monstri, belluæ, bestia, schematis foedissimi? indutorum, turba cum alibi, tum heic quoque celebratas, post iteratas annis præcedentibus serias nostras admonitiones, mandataque Serenissimorum Academiae Nutritiorum severissima, tandem juvenus nostra studiosa melioris genii instinctu profligavit, & ab hac pietatis, honestatis, modestiæque officina procul abesse jussit, nec ex eo tempore unquam adscivit rursus aut admisit. Meritò propterea Salanæ nostræ, & nobis ipsis nos hodieque, & quis non bonus nobiscum? gratulamur; divinæque Majestati, à qua omne bonum & donum perfectum, gratias habemus atque agimus; ex imis cordis penetralibus supplice precantes voce, ut ulteriùs hanc nostræ juventuti mentem servet, eamque spiritu suo cœlesti regat ac ducat, ne unquam infernalis serpentis suggestionibus ad bacchantium insaniam seduci se iterum patiat.

Utinam verò eandem mentem in alio Satanæ foetu, qui vulgo PENNALISMI nomine venit, exstirpando, & ad orcum, unde prodiit, propellendo ac relegando, pridem pariter induisset! Sed enim tantum abest, ut id factum sit, ut potiùs magis magisque, sive veteranorum studiosorum, sive ipsorum Novitiorum, (utrobique bonos inter eos excipimus) contra toties repetita & publicis chartis expressa atque affixa cum Serenissimorum Principum, tum nostra Senatus Academici interdicta severa, ac delinquentium punitorum exemplis haut paucis quasi stabilita, molitiones ac patrations frequentes in memoriam revocentur, Pennalisandi illam petulantiam crevisse, videamus. Quæ res ut tanto clarius appareat, utque perspiciant omnes, adeo nunquam hunc animum aut Serenissimis Academiae Nutritiis, aut nobis fuisse, ut foveremus malum hoc pestilentissimum; ut modis omnibus extinctum penitus ac exstirpatum utrique iverimus: rem paullo altius, & ab ovo, quod dicitur, repetemus.

Cum primum hæc labes ante hos annos quinquaginta, & quod excurrit, ex vicinia huc illata, (quæ tum intra Vocationum, ut appellabantur, Convivia, à lautioris fortunæ adolescentulis, è scholis atque gymnasiis huc studiorum causa accedentibus, per gulones quosdam ac lurcones singularis comitatis specie exigi solita, subsecutaque convitia, verbera, varias exagitationes, vestiumque, librorum, aut & aliarum rerum, tanquam pignorum, ereptiones, constitit) Academiam hanc infecisset; confestim ei publico programme obviam itum,

A 2

istisque

itisque septemviris Epulonum sub interminatione poenarum, quas delictis gravissimis irrogari moris est, (verba sunt Edictorum Academicorum, quibus deinceps certas ob causas subinde utemur) imperatum, aut ex vestigio respicerent, aut ad sui similes, illamque officinam, e qua scitus ille Pennalismus prodierat, se reciperent: addito, superbiam, fastum, rusticitatem & mores incompósitos Novitiorum Studiorum, (quæ illi hoc pacto corrigenda esse clamitabant) non ab his a sotis & acola- sticis, qui ipsi scaterent ulceribus, sed à Magistratu & Præceptoribus, quibus ferocioris adolescentiæ emendandæ cura incumbat, corrigi debere. Cumque sub initium anni subsequenti nonnulli, spreta Magistratus auctoritate, Pennalisticas actiones exseruissent, ac partim & tueri, conspiratione inter se inita, ausi essent, haud pauci à corpore Academico ad aliquot annos penitus abscissi sunt; ut his poenarum exemplis intemperies illa summa, rabies belluina, impietas extrema, & sentina ac cloaca omnium flagitiorum, (his enim elogiis Pennalismus jam tum ornabatur) in prima quasi herba suffocaretur. Neque sine fructu res fuit. Visa enim est mali hujus ferocia & violentia nonnihil ex eo tempore defervuisse; adeo ut Anno hujus sæculi XIX (cujus initio primum illud, quod memoravimus, Interdictum iteratum fuerat) finiente, non jam, ut antea, Novellos Scholasticos ad tragœdias epulasque Pennalisticas minis adigi cogere, sed sponte hoc onus suscipere; nec pugnis dedolari pedibusque proculcari, sed jocis lepidis, & salibus humanissimis amicè de morum emendatione, & exuendo fastu Pennalistico moneri ferretur. Sed quoniam sic quoque rem ipsam, quæ dudum in Pennalismo fuerat, manere, ac tantum melle quodam venenum hoc illini, lupo ovillam, asino leoninam pellem, & meretricule olidissima honestæ matronæ habitum indui, Patres Academici deprehenderent, denuò juventutem scholasticam admonuere, hoc ut virus & venenum odisse tandem & obedientia sua deprimere inciperent; addito præclaro, & quod eventus verissimum esse docuit, epiphonemate: Nunquam sospites & salvas fore Scholas, nisi lues hæc pestilentialis sublata fuerit. Simul ijs, qui Academicæ jurisdictioni suberant, denuntiarunt, se omnes Pennalismi architectos certo malam in rem relegatione publica abacturos; neque morari eorum abitum, qui hoc ab amaraco porcino muscosas abstinere nares non possint, sed piperis grana pauciora, longe pluris, quam multa papaveris semina facere. Qui animus utinam & hodie multis esset, quibus potior est frequentia hominum sceleratorum, quam pauci virtuti bonisque moribus dediti! Nihilo tamen secius paucos post annos denuò malum hoc adeo invaluit, ut A. Chr. MDCCXXIII. d. IIX. Octobr. Patres Academici cum viderent, parum profici exemplis eousque in delinquentes editis, necessarium duxerint enumeratis prolixè publico programmate malis, morbis & detrimentis, quæ Pennalismus, (tanquam in cuius Camarinam, lernam, Avernum, & lacum Asphaltiten quicquid vitiorum est ac flagitiorum, quicquid facinorum & scelerum, confluxerit) complectitur, graviorem delinquentibus poenam constituere; hanc scilicet, ut non solum eos omnes, qui Pennalissimum foverint, aluerint, auxerint, servarint, relegatione publica submoturos se, nulla vel intercessionis vel commiserationis ratione habita: sed etiam typis evulgare velle omnia Relegationum, programmata, & cum in patrias eorum terras, qui hanc luunt poenam, tum in vicinas Academiæ mittere, ut his à serpentibus Libycis, scorpiis, viperis, Draconibus, omnes boni mature sibi cavere discant. At successu tam parum prospero, ut mox ipsi Illustrissimi Cellissimique Principes, Academiæ Nutritij, auctoritatem suam interponendam arbitrarentur. Proinde Illustriss. Dux ALBERTUS loco & nomine Illustriss. Ducis JO. ERNESTI Junioris, tanquam Domini Territorij, Principisque regentis, promulgato A. MDCCXXIII. d. IX. Decembr. Edicto Germanica lingua conscripto, post enarratas varias actiones pennalisticas, con-
questus

questus ingens ob eas odium famamq; sinistram Academia huic conflare, qua moti Parentes haud pauci, liberos suos aut nolint huc studiorum causa ablegare, aut ablegatos quantocumque avocent; severe edixit, ne quis Studiosorum Novitium ullum odio, scandalique, ac contemptus pleno, & Studiosis omnibus ipsisque literarum studiis maxime ignominioso, ac haud dubie ab hoste studiorum ac virtutum Diabolo ex Orco producto, impediendisq; & supprimendis omnibus artibus ac disciplinis salutaribus comparato Pennalisimi, aut ejus moneta aliis cognominibus, clam palamve traduceret, contemptui haberet, offenderet, oneraret: aut ejus amoliendi causa convivium ullum quocumq; praextu exigeret, extorqueret, ei ve interesset; neve quis convictores aut adium suarum incolas studiosos ea in re ullo modo adjutum irer: sed ut Cives Academici omnes, ac Studiosorum hospites alii, quotiescunq; tale quid eos conari aut agere compererint, dehortarentur, praemonerent, & si obsequi nolint, rem vulgarent, ac superioribus, quacumq; ratione possent, significarent; Qui secus fecerint, pro ratione personarum, facultatum, delictorum, gravem Principum indignationem, ademptionem privilegiorum, beneficiorum, munerum, honorum, poenam relegationis publicae ad annos aliquam multos, aut etiam exclusionis, carcerem, exilium, poenam corporalem, & ratione sumtuum ac impensarum poenam quadrupli, indubie incursum: utq; tanto certior sit executio, captivos ad aulam Principis deducendos, spe omni intercessionis aut remissionis praecisa. Quo quidem Illustriss. Principum zelo, providaque Senatus Academici cura, & severa animadversione, effectum est, ut illa Adnovitiorum exagitandorum prurigo ex parte exstirpata fuerit; usque dum circa A. MD. C. XXX. quidam rursus excitare eam & viis antea nec tritis nec auditis reducere ex averno moliti sunt. Quorum tamen molimina mox sunt prohibita publice. Intervenero paullo post, bello in his quoque oris coorto, ea tempora, quibus mirum nemini videri debet, disciplinam publicam hac quoque parte sic corruisse, ut Senatus Academicus consultum existimaret, post edita aliquot in Pennalisantes exempla, Anno MD. C. XXXIIX. d. XI. Martij, recensitis denuo varijs effrenis petulantiae Pennalisticae criminibus, fructibusq; edicere, se ex hac Academia hanc pestem, hanc calamitatem, hoc probrum profligatum omniconatu ituros, illosq; Pennalisimi architectos & auctores certo Relegatione publica, vel etiam perpetua exclusione, abacturos, ab ejusq; decreti executione nec ullam gratiam, nec ullam cognationem & affinitatem, nec ulla munerum corruptelas se avocaturas. Cujus quidem Edicti is fructus fuit, ut proximo triennio Academia nostra gratulari sibi de infamium illarum actionum Pennalisticarum a se quasi exilio videretur. Quae tamen mox, Anno MD. C. XLI. a quibusdam maleferiatis ex Orco revocatae, ac frustra obnitentibus nobis, eousque invaluerunt, ut A. MD. C. XLIV. ineunte, orto ob eas insigni tumultu, de quo paullo post, Sereniss. Principibus, Academiae Nutritijs clementissimis, justa conquerendi causa nasceretur, Studiosos qui tum hic loci vivebant omnes, paucorum maleferiatorum instinctu, Pennalisimum, cui unus alterq; antea non nisi clam addicti fuerint, nunc in hanc Academiam quasi auctoritate publica inaudito modo introduxisse, adversantes huic instituto suo pro infamibus habere, ac summa vi persequi, ejusq; rei causa certas confederationes, Deo & legibus repugnantes, iniisse, ac magistratui ordinario, posthabita jurisjurandi religione, debitum honorem & obsequium palam denegare. Sed huic quoque malo cum eorundem Serenissimorum Principum severa mandata, tum Sereniss. Ducis WILHELMI, Patriae Patris indulgentissimi, praesentia, medicinam attulere, adeo ut per annos proximos tres furor ille non parum remiserit. Qui tamen mox, fatanae haud dubie, saluberrimis, quae tum de pace Germaniae reddenda agitabantur, consilij in novos, credo, furores acti, instinctu, majore cum impetu redijt.

Anno enim MD CXLVII, & qui proxime secuti sunt, non solum *Pennalisticas Veteranorum actiones* repullulascere, hoc est, Juniores, aut qui ab illis Academiis, à quibus Pennalismus exulabat, huc studiorum causa concesserant, contumeliosis nominibus appellitari; tanquam nondum capaces privilegiorum Academicorum alto supercilio despici; *Studiosi* appellatione indignos, & veluti catharmata publica, haberi; injuriis ac contumeliis affici, verberibus coerceri, pecunia emungi, libris vestibusque spoliari, ad Convivia, cum aliam *Absolutionis*, ut vocantur, (sine quibus nemo, istorum Coenipetarum sententia, *Studiosi* nomen poterat consequi) exhibenda adigi, ad omne genus servitia, etiam turpissima, cogi, denique plane ut subditos, immo ut servos, haberi, vidimus: sed etiam *novum*, idque non minus detestandum, *Pennalifandi genus* ex eadem, qua prius illud, officina prodiit. Ipsi enim *Juniores*, & qui nondum annum in Academia exegerant, praesertim qui se *Absolutos* vocabant, Veteranorum exemplo excitati, jam & ipsi alios, recens Academiam, & post unum alterumque mensem, quam illi in eandem venerant, ingressos, inque certos *Vulpium, Asinorum*, similesque gradus alios, pro diverso septimanarum, quibus in Academia vixerant, numero distributos, non solum privatim, & extra oppidum, sed in plateis publicis, in foro, immo, (quod plane abominandum) in templo, interque sacra ipsa & divini Numinis cultum, exagitare, cachinnis excipere, contumelijs afficere, interdum & talitros colaphosque illis impingere coeperunt. Ac ne quis *Novitiorum* injuriis eorum se posset subtrahere, peculiaris illis in aede sacra locus assignatus est; in quo, tam praclaris scriptibus initiandi, comparere coacti, quicumque recens in Academiam venerant. Heic tempus omne sacro cultui destinatum, discursationibus, confabulationibus, susurris, cachinnis, verbis scurrilibus, omnique petulantiae genere, saepe & clamoribus ac rixis, consumptum. Quod si in propinquo adstantes adfidentesve cives honestiores, tam effrenem petulantiam detestati, Exagitatores dehortarentur, utque ad sacra & conciones adverterent animum, rogarent: eadem in illos probra, eadem convitia jaciebantur. Paria, immo atrociora, in foro & in ipsa hominum è rure & vicinis oppidis adventantium celebritate perpetrata: ne tam pulchrae comediae etiam peregrini spectatores deessent. Post hasce tam egregias initiationes in suburbia & pagos itum: ubi eorundem misellorum sumtu strenue potatum, ipsi vero omne genus contumelijs probrisque vexati, saepe & talitris colaphisque excepti; & ne quid ipsorum injuriarum expers esset, scissi perforatique pilei, dilacerata vestimenta: aut cum illi, tum haec, cum vilioribus permutata. Caeterum haec omnia cum in publico factitarent petulantissimi juvenes; quantum injuriarum iisdem miseris *Novitijs* in abdito, intraque privatos parietes, illatum putatis! Tot igitur injuriis obnoxii cum vereri haberent, ne, quoties in publicum, praesertim ad illa solennia, quae diximus, loca prodirent, ultra modum vexarentur; *Patronis* opus erat, qui durius atque inhumanius habitos defenderent, ac prodeuntes in forum, in templum, in Collegium comitarentur. Lecti igitur, qui patrocinium eorum susciperent, vetustissimus quisque ac audacissimus *Juniorum*; seu potius pecunia, muneribus, compotatiunculis emti sunt. Unde nova compotationum genera, & inter exagitatores ac Patronos, quoties aut illi exagitando, aut hi defendendo modum videbantur excedere, jurgia, injuriae, verbera, provocationes, digladiationes, vulnerationes, & infinita hoc genus mala alia. In utroque vero Pennalifandi genere, tam antiquo, quam novo, iis omnibus, quibus tot injuriae perferendae erant, severe, & sub comminatione infamiae, ac crudelissimarum persecutionum, interdictum, ne quis Magistratus Academi-

mici

mici opera imploraret: aut saltem sic enuntiaret injurias sibi illatas, ut in notitiam eius pervenire possent. Etsi interim ad ea quandoque facienda ferendaque cogebantur, quæ nec aures castæ audire narrata, nec pudici oculi legere scripto consignata sustineant: quæque proinde verendum erat, ne, si impune ferrent eorum patratores, gravissimam divini Numinis iram in Academiam universam provocarent. Quid verò ad hæc omnia Serenissimi Academiae Nutritii? quid Magistratus Academicus? Num tota mole irruentem barbariem admiserunt? num malum pestilentissimum radices agere passi sunt? Non sane. sed Illi quidem, pro incomparabili sua ac plusquam paterna publicæ salutis rerumque Academicarum cura, subinde magistratum officii commonere, utque adolescenti & jam robur acquirenti Pennalismo summa vi obniteretur, hortari: Hic verò, memor officii, nunc crebris ac pæne annuis Edictis, nunc severa animadversione & frequentibus exemplis pro virili sua obsistere: adeo ut non deessent, qui interdum nimii rigoris eum accusarent. Et tamen sic quoque parum aut nihil ad rei summam profectum est. Quod cum sæpius laudati Serenissimi Principes animadvertissent, missis ante ex utroque Consiliariorum ordine, qui Academiam viderent ac ordinarent, in *Novis*, ut vocantur, *Statutis*, anno ∞ Isc LIII. conditis, hoc quoque constituerunt, *ut quicumque actionum pennalisticarum auctores exstiterint, nulla personarum, stirpis, vitæ antea bene actæ, aut eruditionis ratione habita, non solum publica relegatione ad aliquot annos plecterentur, sed etiam, ut causa relegationis dispalesceret, exempla eius typis descripta ad eorum loci magistratum, unde relegati oriundi, aut quem parentes illorum propinquitve incolunt, transmitterentur: Quod si præterea & libris, aut vestibus, aut quacumque re alia, Novitios Studiosos spoliaverint, vel corpori ac sanitati eorum damnum dederint, ad ablatorum restitutionem haud tantum, vel certo pretio redemptionem, omnisque damni refectionem adigerentur, sed etiam cum infamia in perpetuum relegerentur: Qui verò non auctores quidem fuerint, socios tamen illarum actionum sese præbuerint, in eos privata relegatione animadverteretur: Utrique verò sumtus restituere cogentur. Si quis insuper casu ad eas accesserit, sic tamen ut damnum ipse nullum dederit, carcere aliove modo, ut exemplo sit aliis, puniretur: Additum, à vicinis quoque Academiis petituos Principes, ne publice relegatos intra annum, nisi testimonio emendatioris vitæ munitos, recipiant. Nec quenquam eorum, nisi præscitu ac consensu Principum utriusque lineæ in gremium Academiae recipiendum. Denique suas quoque pœnas manere illos, qui vel in adibus suis pennalificationes permiserint, vel conviviorum apparatus juverint. Idque statutum non solum bis quotannis, cum novus Academiae Rector præficitur, publice hucusque recitari solitum: sed etiam summa illius, tum paullo ante, quam publicaretur cum reliquis, tum postea Ann. ∞ Isc LV. ac denuo Ann. ∞ Isc LVII. publicis programmatis studiosæ juventuti significata est. In delinquentes autem crebro, & quoties deprehensi sunt, pro gradibus delictorum, relegatione sive publica sive privata, carcere, modisque aliis animadversum. Eo quidem, DEO conatibus nostris benedicente, successu, ut illa, qua Pennalismus olim potissimum censebatur, *Veteranorum* in Juniores exercita tyrannis, hisque illatæ injuriæ, reales pariter ac verbales, primo non nisi furtim exercerentur, mox omnino, aut saltem maximam partem, & inter plerosque, cessarent. Mansit tamen *contemptus Juniorum*, ac pessimus ille mos, quo nemo quisquam, ac ne quidem illi qui unum alterumque, aut etiam complures annos in Gallicis, Danicis, Suecicis, Belgicis, aliisque exteris, partim & Germanicis, Academiis, (quæ omnes Pennalismus nunquam admiserunt) exegerant, honorifico *Studioli* nomine digni sunt habiti, nisi Pennalismo legibus se*

subjecissent. Plane tanquam ab istorum malefactorum arbitrio penderet, ut aliquis privilegiorum Academicorum, à Sacratissimis Imperatoribus concessorum, particeps esset. Mansere proinde & *Convivia Pennalistica*, cum *Accessus*, ut vocantur, tum *Absolutionum*, sed alio plerumque prætextu quæsito: immo (quod tanto promptiores ad ea instruenda Juniores nunc erant, quanto paucioribus injurijs obnoxii) sumtuosius multo, quam antea, facta, ac eo interdum cùm ferculorum, tum præsertim bellariorum scitamentorumque, apparatu instructa sunt, cujus nec personas Illustres, ipsosque adeo Principes pude-re possent. Denique & *Jurisdic-tio* mansit, pridem in Juniores usurpata; eò jam retentu facilior, quod hi beneficii, quod modo diximus, memores, sponte il-lorum jugo se subderent, dominos agnoscerent, privilegia ab illis supplices pe-terent, illorum, quam magistratus Academici, jussu (cui tamen sacramento se obstrinxerant) potiora ducerent, denique penitus ab eorum nutu pende-rent.

Tantum igitur potentia aucti Veterani palam in cœtus & conventicula coire; Comitia habere; leges sancire; Decreta condere scriptoque consignata promulgare; de causis & controversijs inter se suosque natis, quandoque & jurisjurandi necessitate testibus imposita, cognoscere; jus dicere; pœnas, ipsam-que adeo infamiam, irrogare ac remittere; præmia largiri; concionem cogere; militem educere; ad summam, ferme nihil eorum non audere atque peragere, quæ à summis potestatibus soli sunt magistratui concessa.

Juniores autem, tam clementi sub imperio, veris, ut solet, in majorem licentiam, quæ sibi à Veteranis indulta fuerant, in omnem petulantiam soluti, non satis habere, si sui ordinis adolescentes modis, quos supra recensuimus, in-ferantur: sed ulterius progressi, nunc sexum muliebrem non in foro tantum, & in plateis, sed in æde sacra, præsertim in solennitatibus nuptialibus, probris & convitiis incessere, verbis obscœnis & scurrilibus ab auditu verbi divini reli-quoq; cultu sacro avertere, intransibibus, exeuntibusve præcludere viam, pedibus-que insidias struere: nunc in foro ruricolis insultare, esculenta, quæ venum attu-lerant, eripere, querentes de injurijs contumelijs plagisve excipere: nunc in suburbana & pagos excurrere, ac rixari inibi cùm incolis, turbasque ciere: de-nique, ne quid externæ honestatis reliquum illis videretur esse, cum scissis pile-is, vestitu lacero, palliis aut potius palliorum laciniis è brachio manuve pen-dulis, nec tam calceis quam crepidis indutos in publico conspici: adeo, ut, si ve-stitum spectes, non literarum studiosos, sed mendicos, furiosos, aut à milite ex-spoliatos putes. Et quis omnia petulantia ipsorum genera edisserat! Quæ ta-men postremo non in Academia tantummodo, aut vicinia ejus, sed etiam alibi conspici voluit. Id quod satis apparuit, cum ante hunc annum ipsum, in Nun-dinis Numburgensibus, inspectante ingenti hominum ex universa propemo-dum Germania confluentium multitudine, virisque gravissimis, tam impiè, tam scurriliter, tam petulanter, etiam adversus illustres personas, sese nonnulli gererent, ut Academia huic, immo Studiosorum ordini universo, haud exi-guam, & vix multorum annorum decursu eluendam maculam inusserint.

Porro cum tanta esset Veteranorum in Novitios potestas inque Penna-lismo tuendo pervicacia; tanta item horum licentia, petulantia, & erga Vetera-nos observantia; fieri vix potuit, quin subinde, cum alterutri vel utrique vim passos aut injuria affectos se opinarentur, vel & conata sua, quæsitamque ma-lis artibus potentiam tueri pertinaciter adversus magistratum cogitarent, res in tumultum & vim publicam erumperet. A Pennalistandi certe prurigine, defen-

defendendique Pennalisticas actiones proposito fuit, si primam originem spectes, quod Anno MDCCXLIV, Studiosorum tum in hac Academia viventium plurimi, conspiratione inter se inita, obsequium magistratus Academici palam detrectarent, in coetus coirent, quosdam sui ordinis, explorandæ veritati, utque in eos animadverteretur, custodiae datos, vi liberarent, Novitios armarent, portas obsiderent, ipsi denique arci Ducali vim inferrent: nec ante quiescerent, quam Serenissimus Dux VVilhelmus, Patriæ pater clementissimus, comitante armatorum multitudine huc profectus, convocatos in Collegium Studiosos omnes, indeque in arcem deductos, ac tamdiu inibi detentos, donec plerique seditionis auctores detecti essent, ad renuntiandum conspirationi adegisset.

Jam quod ante hos annos quattuor intra oppidum, ante biennium in suburbio a Juniorum manu in ædes civium sub noctem factus est impetus; unde nisi a cœco eorumdem erga Veteranos obsequio, summaque ad ciendas turbas propensione, fuit? Quid multa? Nuperi illius & (nisi Principum sollicitudo subvenisset) pæne fatalis Academiæ nostræ tumultus, cadisque tum perpetrata, num alia potior causa fuit, quàm Novitiorum in excubias à Sereniss. Patriæ Patre securitatis causa constitutas jactæ comminationes, & mox pellen- dis iisdem, tanquam libertati, ut illi putabant, revera autem licentiæ suæ adversantibus, factæ in ipso foro & plateis, si non jubentibus, certe spectantibus, permittentibus, nec improbantibus Pennalificantium præcipuis, concursationes, convocationes, & quæ præterea sua illis petulantia suggererat? Sed nec ea, in quæ paullo post, turpissima conspiratione inita, magna pars Studiosorum, ut universam Academiæ molem subruerent, convenit, quibusque postea Ejusd. Clementissimi Patriæ Patris mandato, plerique omnes porrectis Rectori dexteris semel iterumque renuntiarunt, in hoc usque tempus quisquam tenacius, quam Novitiorum illi, qui *Absolutos* se vocant, servavit. Etsi non ignoramus, fuisse & alios, qui posthabita jurisjurandi religione, quo fidem suam obligaverant, perniciose adversus Academiam nostram consilia agitarunt. Quos sua haud dubie poena manet.

Satis ex iis, quæ non una causa prolixè recensuimus, apparet, quam nunquam Sereniss. Principibus, Nobisque ipsis, defuerit animus extirpandi penitus Pennalismi: quam multa item & quam detestanda sint mala, quæ Lerna illa complectitur. Hæc igitur cum in Academia sua nullo modo ferenda diutius, nec tamen remediis hucusque adhibitis plane præveniri tollique posse, animadverterent Serenissimi atque Celsissimi utriusque lineæ Principes ac Duces Saxonix, &c. Nutritores Salanæ hujus munificentissimi, Domini nostri Clementissimi: communicato cum aliis S. Rom. Imperii Principibus ac statibus, ac imprimis cum Sereniss. Saxonix Electore, consilio, tandem aliquando Pennalissimum communi consensu excindendum esse, decreverunt; eamque in rem Mandata, publice promulganda, nuper ad nos destinarunt. Summa eorum Mandatorum ac sententia hæc est: *Pennalissimum* illum abominandum ex nostra quoque Academia Salana funditus ac radicitus sublatum profligatum atque exterminatum volumus. Nemo quisquam Studiosorum *Veteranorum* in posterum à *Junioribus* recens Academiam ingressis Convivium sive *Accessus*, sive *Correctionis*, sive *absolutionis*, sive *postpositionis*, sive, quocun-

cunq; veniant nomine, *pennalisticas* comeffationes alias; neque ullum etiam *aurum argentumve* poscito: nullis *exagitationibus*, quæcunque illæ sint, molestus ipsis esto: nulla ad servitia ipsos cogito, multò verò minùs verberibus excipito, aut alio quocunque modo suum quasi sub jugum pertrahere audeo: sed solius Magistratus Academici, & præfectorum ac Præceptorum inspectioni, correctioni, animadversioni eos relinquunt. *Novitii* verò, qui jam tum in Academia nostra adsunt, & qui in posterum adventuri sunt, statim, ac sine ulla procrastinatione inhonestum illum hæctenus usurpatum vestitum abdicant, in ejusque locum, honestiorem, & quali Veterani Studiosi uti solent, adsciscunt; ab exagitationibus sui similium prorsus abstinendo; omnem petulantiam publicè privatimque, cum primis in æde sacra & aliis conventibus ac congregationibus, procul à se amoliunt. Professores, sui quod est hac in re officii, curiosè exsequuntur; delinquentes, & huic Sereniss. Principum decreto quocunque modo adversantes, tam veteranos, quam novitios, omni seposito affectu & *προσωποληψία* seu personarum respectu, pœnâ meritâ afficiunt: & primâ quidem vice pro delicti gradibus ad certi cujusdam temporis terminum, secundâ in perpetuum, sed absque infamia, tertiâ tandem vice, si forte recepti fuerint, neque desistant, cum infamia relegant & excludunt. Hi verò postremi nullius receptionis, sed velut infames, nullius quoque honesti officii capaces, habentur. Quo veròcunque modo, primo, secundo, tertio, relegatus quis fuerit, ad alias Academias, ne ibidem recipiatur, sed velut relegatus aut exclusus ab omnibus habeatur, idemque tam ad aulas illustres, quàm ad cujusque natalis soli magistratum perscribatur: nec absque Serenissimorum Principum Patronorum, non alterius lineæ separatim, sed utriusque conjunctim, præscitu Dispensatio ulla aut receptio instituitur. Impunè quoque non abibit, si quis sive ex Professorum ordine, sive alius quivis, *Pennalisticarum* comeffationum apparatus quocunque modo adjutum iverit; iste quidem Professorio munere, hoc ipso futurus expers; hic verò pro ratione circumstantiarum graviter plectendus.

Hæc

Hæc summa est Decreti Serenissimorum Saxoniae Ducum utriusque lineæ de *Pennalismo*, foetu isto orcino, profligando & exterminando. Tuum jam est, Juventus studiosa, tam Veterana, quam Novitia, jurisjurandi, quo Te Serenissimis Principibus ac magistratui Academico obstrinxisti, memorem, mature obsequi. Pietatis est Magistratui, DEI in terris vicario, obedire. Nemo vestrum est, qui non malit pius, quam impius audire. Virtutis est, ea vitare, quæ vel speciem malitiæ præ se ferunt. Nemo vestrum est, qui non malit bonus, quam malus videri. Obedientia felicitatis est mater. Nemo vestrum est, qui non felices malit studiorum successus, quam infelices. Bonam denique famam conciliat eorum patratio, quæ legibus & honestati sunt conformia. Nemo vestrum est, qui non malit honestus, quam infamis dici. Hæc, Juventus studiosa, Tecum meditare: & si sapis, sponte ad peragenda, cavendaque, quæ Illustre Mandatum requirit, Te compara. Sin, (quod tamen nolumus) experieris profecto non deesse cum Serenissimis Principibus, tum Nobis ea adversus contumaciam remedia, quæ nolentes eo possint adigere. Nunquam, credite nobis, continget, ut quæ Illi tanto consensu, tantoque cum zelo decreverunt, irrita reddi, seque adeo ludos fieri patiantur. Vos quoque, reliqui Cives Academici, dabit operam, ne deinceps ulla re Pennalissimum adjutum eatis. Sin, manebit & Vos severa animadversio. P.P. ipso festo Visitationis B. Virginis, hoc est, d. II. Julii, A. Chr. c. l. c. LXI.





8

8

Hæc







PENNALISMUS
PROSCRIPTUS

PROFLIGATUSQVE

AC

NENSI.



ISII,

7

4,57

8

